



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 38/18/I

BEATISSIME PATER,

Vitalis Savio, S.I., Rector ecclesiae de Urbe, sub tit. S. Ignatii de Loyola in Campo Martio, humiliter exponit: a. MDLXVIII, Castilionis Stiverorum, e stirpe principum nascebatur Aloisius Gonzaga qui, innocentia vitae et principatus contemptu clarissimus, Societati Iesu Urbis se adiunxit. Cum Urbs pestilentia conflictaretur, viribus fractus in ministrando exitiali laborantibus morbo, adhuc adulescens Aloisius mortem oppetiit. A Benedicto Pp. XIII Sanctorum fastis adscriptus, S. Aloisius Gonzaga caelestis Patronus christianae iuventutis universae a Pio Pp. XI sollemniter declaratus est.

Ad illas digne celebrandas memorias, a die IX Martii MMXVIII usque ad diem IX Martii MMXIX, peculiare mox habebuntur sacrae functiones, eo intento fine ut salutaris devotio erga caelestem Patronum S. Aloisium promoveatur in christifidelibus et, ipso auxiliante, eorum mores impensius divino Evangelio conformentur. Quo autem abundantius iis, qui dictis celebrationibus intererunt, divinae gratiae thesaurus aperiatur, Rev.mus Orator Indulgentiarum donum ad instar Iubilaei implorat.

Et Deus, etc.

Die XVIII Ianuarii MMXVIII

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de speciali mandato Ss.mi Patris Francisci, *Iubilarem* concedit *Annum Aloisianum cum adnexa plenaria Indulgentia*, a Patribus ex Societate Iesu et christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis, suetis sub condicionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) semel in die lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si S. Ignatii de Loyola in Campo Martio ecclesiam de Urbe, ubi S. Aloisii reliquiae adservatae sunt, vel quodvis templum ubique per orbem terrarum in honorem S. Aloisii Gonzagae dicatum, in forma peregrinationis inviserint et ibi alicui sacro ritu vel pio exercitio devote interfuerint, vel saltem coram S. Aloisii exuvias per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei, invocationibus Ss.mae Virginis, S. Ignatii de Loyola et S. Aloisii Gozagae.

Pii christifideles, senectute vel gravi morbo impediti, *plenariam* consequi poterunt *Indulgentiam*, si, concepta peccatorum detestatione, et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, laudabiliter coram aliqua Sancti imagine, iubilantibus celebrationibus se spiritaliter adiunxerint et preces ut supra in loco ubi impedimentum eos detinet recitaverint, doloribus suis vel incommodis propriae vitae oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentiaria rogat ut Patres ex Societate Iesu et sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant et S. Communionem infirmis saepe ministrent.

Praesenti per Iubilarem Annum Aloisianum valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Maurus Card. Piacenza
MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior

Christophorus Nykiel
CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens